DISPVTATIO
Ad Leg. vnic. Cod. de ſen-tent. quæ pro eo quod intereſt profer.

Cuius concluſiones D. O. M. A.

Iuſſu & auctoritate Ampliſſimi collegij Iuridici in inclyta Baſilienſium Academia,

Pro conſequendis in vtroq; Iure priuilegiis & inſigniis Doctoralibus, Reſpondendo tuebitur

CASPARVS SCHACHER
FRANCOFVRTENSIS
ad Mœnum.

1. Decembr. hora & loco conſuetis.

BASILEÆ,
Typis CONRADI WALDKIRCHII.
cIↄ Iↄ XCV.

[BIB]LIOTECA N[AZ.]
ROMA

NOBILITATE GENERIS, ERVDITIONE, PRVDENTIA, INTEGRITATE, DIGNITATEQUE Præſtantiſſimis, Ampliſſimis, Honoratiſſimisq;
viris:

Dominis Conſulibus, Scabinis, & lectiſſimo Senatorum Ordini,

In inclyta Rep. vrbis Imperialis Francofurti ad Mœnum,

Dominis meis, Patronis, & fautoribus perpetuo ſtudio colendis,

Declarandæ ſubiectionis, obſeruantiæ & gratitudinis animo

Hanc Diſputationem inauguralem offero & dedico

R. R. A.

FRequens & quotidiana ſed & vtilis & perneceſſaria eſt materia Conſtitutionis Iuſtinianeę, De ſent. quę pro eo quod int. profer. Quippe quod ex medio rerum vſu deſumta, & Iudicibus ſuper eius quod intereſt taxatione metam præfigens, variis inſuper Interpretũ commentariis miſerè hucuſq; lacerata, ipſa ſe commendet.

Eius igitur analyſin libet paucis concluſionibus remetiri, præmiſſa tamen aliquot capitum de eo quod intereſt repetitione.

THESIS PRIMA.

QVod rectè deſcribitur à Paulo duobus in locis, & ab aliis paſsim, quantum mea interfuit, hoc eſt, quantum mihi abeſt, quantúmve lucrari potui. Eſt enim acceſsio extrinſeca in damno emergente & lucro ceſſante vertens.

2. Extrinſeca. Cùm ſemper ſit extra rem principalem eiusq; perſecutionem conſtituta, cum eius etiam cauſa, ad quam taxatio huius Leg. non pertinet, vt plurimum nihil habens commune.

3. Labaſcit igitur protrita Interp. diuiſio in Intrinſecum & Extrinſecum.

4. Quemadmodum & altera in Commune conuentum & Singulare ad ſenſum Iuſtiniani non accedit. Vtraq; præter neceſsitatem excogitata.

5. Iccirco ſemper eſt vnicum quoad hoc, nimirum caſuale h.e. ſingulare & extrinſecum.

6. Rectiùs in ſpecies lucri & damni diſtinguitur.

7. Et locum habet in omnibus contractibus & delictis, vel quaſi.

8. Cauſa tamen accedente, quæ pro negocij diuerſitate alia eſt atq; alia, nimirum dolus, culpa, contrauentio, mora, affirmatio bonitatis, idoneitatis tacita vel expreſſa, promiſſio, & ſimiles.

9. Sed ita, vt cauſa talis ad præreptam vtilitatem, obtineat rationem cauſæ propinquæ, indubitatæ, iuſtæ & efficacis ad ſuum effectum. Longiuſculè enim prætenſum intereſſe conſiderationem in iure noſtro non habet.

10. Porrò, in rebus fungibilibus id quod extrinſecus intereſt regulariter non debetur.

11. Sed in pecunia quidem, acceſſionis loco veniant vſuræ vſq; ad legitimam quantitatem, cuius taxatio ad hanc L. vn. minimè ſpectat, ſed ex aliis iuribus petenda eſt.

12. In cæteris æſtimatio quanti plurimi, de qua ſimiliter hæc Lex non loquitur. Niſi quandoq; ob adiectam ſolutioni certam aliquam periſtaſin, cuius intuitu id inter contrahentes actum videatur, vt extrinſeci quoq; intereſſe periculum in ſe ſuſcepiſſe dicendus ſit debitor.

13. Atq; ideo ſi inter mercatores vinum, oleum, frumentum, certo loco aut tempore dari promiſſum ſit, ad extrinſeci damni & lucri emendationem & refuſionem obſtrictum moroſum debitorem Creditori, verius eſt.

14. Et quidem longè facilius quàm in pecunia.

15. Tempeſtiuum nunc eſt ipſius Legis reſolutionem ordiri, vbi in caſibus Certis id quod intereſt dupli, in Incertis nulli taxationi ſubijcitur. Modò quod reuera intereſt, & non ex callidis quibuſdam machinationibus inducatur.

16. Iam & ex ipſius Conſtitutionis tenore, & his quæ ſuperiùs firmata ſunt, ſponte ſua corruit, quod Interpp. ferè omnes præſertim vetuſtiores vno quaſi ore contendunt, In primo huius L. reſponſo tantum ſingulare (ab ipſis dictum) Intereſſe taxari.

17. Per Caſus contra DD. erroneam ſententiam intelligimus non ipſam principalem obligationem, ſed illam facti contin-

contingentis circumſtantiam, ex qua dum obligationi principalis ſuperuenit, acceſſoria naſcitur ad id quod intereſt obligatio.

18. *Quantitatem certam, cuius in Conſtitutione ſit mentio, ex pondere, numero & menſura certis iudicamus, eius videlicet rei quæ principali obligationi ſubſit.*

19. *Naturam certam ex eius limitata & finita circumſcriptione tali, per quam tempore obligationis ſaltem ciuiliter certum quoddam integrum ſeu ſimplum communiter æſtimabile dici poſsit.*

20. *Itaque coniunctim: Caſus certi erunt in quibus cauſa illa acceſſoriam eius quod intereſt obligationem pariens, habet, h.e. tanquam obiectum principale & ſpecificum reſpicit rem certæ quantitatis aut naturæ.*

21. *Incerti qui ſint, ex eorum quæ modo dicta ſunt oppoſito percipere licitum eſt.*

22. *Et quod Iuſtinianus in certis duplum excedi vetat, de duplo intelligimus cui ſimplum inſit.*

23. *Atq; hoc ſenſu prudenter reſponſum eſt à Paulo & Africano: Seruo vendito, cui fideicommiſſaria libertas debebatur, eoq; poſtmodum ad libertatem aſpirante, emtorem à venditore precium eius conuentum, & inſuper quos in erudiendo fecerat ſumtus conſecuturum, vſque ad dupli quantitatem.*

24. *Et à fortiori, Reſponſum Iuliani: Venditorem hominis emtori præſtare debere, quanti eius intereſt hominem venditoris fuiſſe; quare ſiue partus ancillæ, ſiue hereditas quam ſeruus emtoris iuſſu adierit, euicta fuerit, ex emto agi poſſe; Et ſicut obligatus ſit venditor, vt præſtet hominem habere licere quẽ vendidit, ita ea quoq; quæ per eum acquiri potuerũt, præſtare debere emtori vt habeat, &c. Cum eodem dupli temperamento redditum concludimus.*

25. *Similiter aliud Pōponij, Euicta re vendita ex emto eſſe agendum de eo quod acceſſit, quemadmodum & eorum*

nomine quæ emto fundo nominatim acceſſerũt ſimplum præſtatur, &c. habito reſpectu congruo principalis & acceſſorij limæ ſuperiori adhibebimus.

26. Conſequenter ſi inſulam alienam tibi locauero quinquaginta, tuq; eandem Titio ſexaginta relocaueris, isq; à Domino prohibitus fuerit habitare; Agentem te ex conducto à me conſecuturũ quanti intereſt perfrui conductione, h. e. mercedem conuentam, & inſuper emolumentũ relocationis quod ad computationem vberioris mercedis comparatum erat ſecundum quod Paulus & Tryphoninus reſponderunt, non ſine dupli commenſuratione.

27. Patet igitur in ex emto actione ob euictionis præſtationem, duplum eſſe menſuram eius quod intereſt.

28. Sed id in expenſis litium iudicio euictionis ventilato factis ita indiſtinctè verum non eſt.

29. Simplum verò quod duplatur eſſe precium conuentum nec diminutionem patiens nec augmentum.

30. Etiam vltra dimidium læſione probata.

31. In permutatione cæterisq; contractibus cõmunem eius æſtimationem quod moram vel euictionem paſſus habere debuit, tempore contractus inſpecto.

32. Quinetiã euictione partis ſecuta adeoq; pro rata tantum euictione commiſſa ſimplum duplabile nihilominus totum rei precium manet.

33. Quod etiam eſt, re quidem apparenter tota euicta, ſed in parte tantum effectualiter.

34. Tantum de caſibus certis. In incertis vt diximus, nulla taxatio adhibetur: Sed Iudex per ſuam ſubtilitatem inquirere debet, vt hoc quod reuera inducitur damnũ in condemnatione comprehendat.

35. Itaq; ſi vaſcularius aut faber doliarius vaſa vitioſa etiam ignarus vendiderit locauerit, tenebitur ad omnem quod ob effuſionem vini contigerit damni emendationem ſine taxatione. quæ ſententia in emtionib. Labeoni adſcribitur, in locatione Sabino referente Minicio.

36. Et